

hoc tantum quod a Semipelagianis Molinistae ea fuerint mutuati. Legantur Prospcri et Hilarii epistolae ad Augustinum; legantur et eiusdem Prospcri responsa ad obiectiones Vincentianas, et ad obiecta Gallorum, vbi id testatum est. Quo ergo in pretio habendae argutaciones huiusmodi sunt, quas certissime nouimus ab hominibus haereticis primum fuisse productas? Nec tamen audemus Sanctae Matri Ecclesiae iudicium usurpare, vel anteuertere. Id vnum addimus, reuereri nos ac agnoscere rectissimum Regis nostri Caroli, huius nominis III. consilium, aquissimamque legem, quies a Regni totius Scholis exulare iussum fuit, vna cum aliis consimilibus, hanc Medistarum sententiam.

CAPVT V.

*Praedestinationem ad gratiam non esse ex meritis demonstratur.
Veteres Ecclesiae Patres a labe Pelagiana defenduntur.*

Non praedestinantur ad gratiam electi ex meritorum praeclusione.

Nec quid huic catholico dogmati contrarium tradidere Veteres Ecclesiae Patres.

Prima propositio catholicae fidei definitio est aduersus Pelagianos, et Semipelagianos, quorum primi ausi sunt adfirmare, praedestinari electos ad gratiam ex praeuisis meritis sola liberi arbitrii facultate comparandis; posteriores vero praedestinari electos ob praescientiam fidei, aut bonae voluntatis, ex solo arbitrio naturaliter prodeuentum.

Constat autem propositio veritas contra Pelagianos ex Apostolo ad Rom. cap. ii. scribente: *si autem gratia, iam non ex operibus, alioquin gratia non est gratia.* Et infra: *quis prior dedit illi, et retribuet ei?* Constat ex Augustino dicente (1): *scimus, gratiam Dei nec parvulis, nec maioribus secundum merita nostra dari.* Constat deinde contra Semipelagianos ex definitione Conciliorum. Ita enim definitum est et in Concilio Arausiano Canon. ii, et in Tridentino Can. v. de Iustificatione. Sed et eam statuit Paulus

(1) Epist. ad Vitalem.

Ius II. ad Corinth. iii. dicens: *non quod sufficientes simus cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis.* Augustinus quoque vbi ait (2), verba Paulli exponens: *attendant hic, et verba ista perpendant qui putant, ex nobis esse fidei coeptum, et ex Deo fidei supplementum.* *Quis enim non videat, prius esse cogitare quam credere?* Ratio quoque utramque propositionis partem confirmat: primam quidem haec: impotens est quodcumque naturale opus supernaturalia promereti beneficia: ergo quum gratia beneficium undeque supernaturale sit, a nullo naturali opere valet promereri. Secundam vero haec altera: *gratia, vt ipsum vocabulum sonat, dominum gratis collatum est: non ergo fidei, aut cuius alli operi, solius liberi arbitrii facultate patrato, retribuitur.*

Secunda propositio consulto a nobis addita est, vt Veterum Patrum, quum Graecorum, tum Latinorum ante Augustinum orthodoxiam ab omni Pelagianismi labe, atque suspicione vindicaremus aduersus Recentiorum quorundam accusations: quod vt expeditius faciamus, canones quosdam, seu generales regulas ad Veteres interpretandos apprime vtiles ex Petauio (3) hic praefigemus. Primus canon est: plerumque Veteriores illos, quum de Dei gratia, ac vocazione agunt, non tam de interiore animi motione, siue illustratio mentis haec dicatur, siue etiam cordis inflammatio, quam de externo aliquo Dei beneficio, veluti Euangelii praedicatione, aut statu aliquo vitae, ad quem occulto deinde animi instinctu trahuntur, loqui. Secundus: nihil aliud eos velle, nisi Deum gratiam, et inspirationem, quam ex sola gratuita liberalitate impetriri statut, iis plerumque tribuere, quos consensuros et quo tempore consensuros esse praesciunt; non vt meritum sit ipsa consensio, sed occasio tantum et conditio. Tertius: saepe gratiae nomine eam Patres adpallare dumtaxat, quae vberior perfectiorque sit, et saluti proprijs primam autem motionem, et communem, quasi ordinarium aliquid, et minus singulare, ac velut fundamentum spiritalis aedifici praetermittere. Quartus tandem: interdum illos inchoatam et rudem adhuc gratiam perfecto salutis et aeternae vitae, hoc est, absolutae compleaque gratiae nomine significare; quod initia illa diuinae vocations, coelestisque afflatus, nisi per nos steterit, certissima nos ad salutem via perducunt.

Horum priores tres canones seu regulae ad Graecos potissimum Par-

(2) Lib. iv. de Praedest. cap. 4. (3) Theol. Dogm. de Praed. lib. ix. cap. 4.

Patres intelligendos pertinent: Irenaeum dico, Origenem, Chrysostomum, Theodoretum, OEcumenium, Gennadium. Quorum omnium testimonia, non nisi improbo, eoque penitus irrito, colligeremus labore. Itaque dum sic eos disputate audimus, ut totam gratiarum seriem a prima profectam, et in gloriam desinentem, affirmare videantur ab hominum pendere voluntate et affectu, sive operum meritis; in quae Deum intuentem adserunt, certos ex omni delegisse numero, qui vel antequam vocarentur illustrarenturque, gratia, bonis moribus, ac pio animi proposito praestarent alios, vel concessa diuinitus gratia bene essent vsuri; vna vel altera ex traditis regulis ab inuidia quam facilime a nobis poterunt purgari.

Exemplis res fieri notior. Irenaeus de vocatione ad gratiam scribit sic (4): «si igitur tradideris ei quod est tuum, id est, fidem in eum, et sublectionem, percipies eius artem, et eris perfectum opus Dei. Si autem non credideris ei, et fugeris manus eius, erit causa imperfectionis in te qui non obedisti, sed non in illo qui vocauit. Ille enim missit, qui vocarent ad nuptias; qui autem non obedierunt ei, semetipsos privauerunt regia coena.» Neque enim recte iudicaremus, Irenaeum censisse, fidem ex arbitrio humani viribus in solidum existere; vel Deo non mouente et inspirante excitari in nobis. Sed quoniam principium illud ac semen est vitae melioris, ad quam instauramus; et ordinarii gratiae adiumentis elicuntur, tamquam praefatio quedam ad exquisitorem gratiam; ideo pene in gratiae loco et numero non haberur, et a nobis veluti in antecessum dicitur ergandum; non tamen sine ope Dei, et gratiae adiutorio. Atque hoc Irenaci, et aliorum similia dicta non alium habent sensum, quam innumera vtriusque testamenti loca, in quibus fides ab hominibus erigitur, et alia veluti initia, et rudimenta gratiae, quibus imbuti ad perfectiora prouehimur. Ut igitur, quum ab hominibus fidem et plum affectum animi, velut illicium gratiae sue, suorum donorum, repraesentari sibi Christus in Euangelica historia petit; nemo inde concludit, fidem ac voluntatem bonam opus non esse gratiae, sed humani arbitrii ac naturalium viuum; ita quum vetustiores Patres fidem ex nostro tribui, et ad promerendam Dei gratiam praestari significant; non tam inqui interpres illorum esse debemus, ut nullam censemus eos agnoscisse Christi gratiam, qua initia ista coaherunt.

Si-

(4) Lib. iv. cap. 76.

Similiter cum catholica professione conciliari poterunt ea loca vbi scribit (5): «oportet primum nos eligere bona, et quum elegerimus, tunc suas partes praestat. Non praeuenit voluntates nostras; nec liberum nostrum arbitrium videt. Sed postquam nos elegimus, tunc copiosum nobis auxilium inducit.» Et insuper (6): «hinc docemur, Deum non praeuenire voluntates nostras donis suis; sed quum nos cooperemus, quum voluntatem praebuerimus, tunc ipse multa nobis dat adiumenta salutis.» Nimis prima illa rudimenta gratiae, quae in fide ac bona voluntate sita sunt, distinguunt ab eis donis, quae deinceps maiora et ampliora consequuntur. Quemadmodum fides, quum sit opus christianaie iustitiae, eiusque principium, ab operibus tamen secernitur, quorum fundamentum esse dicitur; ita fides eadem, et voluntatis prima propensio, et si gratia constet, ab ea nihilominus separatur interdum, hoc est a donis gratiae reliquis, quibus efficiunt noua creatura in Christo Iesu in operibus bonis, quae praeparauit Deus, ut in illis ambulemus ut ad Ephes. ii. scribebat Paulus. Ergo ut fides opus est plumbum, et sanctum, et ramum ab operibus etiam bonis, ac Christianis velut diuersa ponitur; ita gratia illa, quae fidem excitat, ab ea vtique discernitur quae opera bona in nobis et nobiscum efficit, adeo ut prae illa, ista in gratiae censu, et vocabulo minime numeretur. Sunt his similis quaecumque alia hic possunt congeri Patrum Veterum testimonia: hinc missa illa facimus.

Si quae vero eximii praedestinationis et gratiae vindicis, atque Doctoris Augustini loca ab aduersatis in medium ducerentur, quibus gratiam ex meritis dari, in specie saltim, videatur exprimi, erit canon postremus lydius lapis ad eius dogmata, mentemque declaranda. Ad alia.

CAP VT VI.

Haereticorum conatus cohidentur, atque franguntur.

Quas superiori capite indigitauimus, haeresum Pelagii et Semipelagianorum erga Dei electionem, et ad gratiam, et ad gloriam, ecce compendium. Voluit Pelagius praedestinationem ex praeuisione operum moralium haberi, necessitatemque gratiae negavit omnino: quem errorem aliqui temperantes dixerunt, fidei initium ex nobis es-

sc,

(5) Hom. xii. in Epist. ad Hebre.

(6) Hom. xviii. in cap. i. Ioann.

se , atque hinc a nobis saluis pendere primordia , licet de cetero supernatura auxilia minime denegarent.

Congerunt autem illi non pauca ex Scripturis et Patribus potissimum , vt errorem suum tutentur. Sunt haec praecipua : in plurimis Scripturae sacrae locis adseritur , Deum inuenire bonos , ac proinde gratiae beneficia rependere , vt Genesios xviii , Iobi xiii , et alibi passim : electio ergo ad gratiam ex meritis praeuicis est.

Similiter , cap. i. Zachariae Prophetae Dominus ait : *conuertimini ad me , et ego conuertar ad vos.* Et Proverb. xvi : *hominis est praeparare animam* cert. Spectat ergo Deus hominis bene facta , vt ad gratiam eligat.

Insuper : vt in Actibus Apostolorum dicitur , cap. x. Cornelius eleemosinis suis promeruit , vt in fide instrueretur : Zachaeus etiam , vt Lucas scribit cap. xix , studio videndi Christum impetravit , vt ab eo et videretur , et vocaretur. Latro demum , eodem Euangelista testante cap. xxii , socium increpans , et Christi innocentiam depradicans ab eo meruit audire : *hodie mecum eris in Paradiso.* Fidei ergo initium , in eandem vocatio , atque in gratiam electio ex nobis sunt , seu a nostris pendent meritis.

Ex Patribus deinde Augustinus est qui aperte tradit (1) : *habere quosdam in ipso ingenio divinum naturaliter munus intelligentiae , quo moueantur ad fidem.*

Item Chrysostomus in Homiliis docet (2) : *Abrahamum se prius disposuisse , quam a Deo tam magna gratiae acciperet beneficia.*

Insuper legitur in Martyrologio Romano sub die ultima Iunii , Basilidem militem Ethnicum recepisse mercedem , quod Sanctam Virginem Potamianam visitasset , dum ad supplicium duceretur , eiusque virgininatem esset turatus.

Demum , proloquium Scholasticorum tenet : *facienti quod est in se Deus non denegat gratiam.* Concluditur ergo Deum hominem merita expectare vt eos ad suam eligat gratiam.

Sed responderetur ad omnia. Ad Scripturae quidem testimonia Augustini limpidissimis verbis , vbi ait (3) : *Deum inuenire in bonis hominibus illud tantum , quod ipse facit.* Id ergo laudatis Scripturarum locis efficitur , vt liberum hominis arbitrium magis commendetur , sed tamen non excluditur gratiae praeuenientis beneficium.

Quæ-

(1) De Dono Perseuer. cap. 14.
(2) Hom. xlvi. in Gen.

(3) Lib. ii. contra duas epist. Pelagianorum.

Quemadmodum vbl scriptum est : *conuerte nos Deus salutaris noster : conuerte nos Domine , et conuertemur , cet.* ; commendatur gratiae beneficium ; nec libertas tamen denegatur , vt Augustinus ipse docet (4).

At Cornelius , (vt reliquis satisfiat) promeruit reuera vt in fide instrueretur , quoniam orabat , et elemosinam largiebatur ex fide aliqua , licet imperfecta et inualida. Quod de Zachaeo , et de Latrone dictum volumus. Praecessit enim in eis aliqua praeparatio ex supernaturali fide ; quæ facile in illis esse potuit , quia ambo erant Iudaci. Potissimum vero Latronis fidem maximum gratiae epus , et praestantissimum passionis Christi beneficium ex eo agnoscimus , quod in hominem crucifixum , animam agentem , opprobriis plenum , a suis derelictum , crediderit. Legatur Chrysostomi Homilia.

Augustini autem verba id tantum innuere videntur , quod aliqui minorem in se obdurbationem habeant , ac facilis a Deo vocati moueantur propter moralium virtutum exercitamenta : minime vero ex illis probatur , naturalia opera aliquod gratiae meritum habere. Habetur id ex verbis quæ subsequuntur , scilicet : « si Dei altiori iudicio , a perditionis massa non sunt gratiae prædestinatione discretri , nec ipsa eis adhibentur vel dicta diuina , vel facta per quæ possent credere si audirent talia vel viderent. In eadem perditionis massa derelicti sunt etiam Iudaci , qui non potuerunt credere , factis in conspectu suo tam magnis clarisque virtutibus. » Sane si ab altiori Dei iudicio prouenit vt quis credat , et saluetur ; sola naturalia opera supernaturalis fidei initia nullatenus promerentur.

De Chrysostomi mente ac sententia , deque legitima verborum eius intelligentia supra diximus abunde : neque placet nobis actum agere. Possunt omnia Chrysostomi loca hac etiam via commode expōni , vt vbi negat , Deum praeuenire hominum voluntatem , eius sit sensus , quod eam non praeueniat , liberratem euertens , vt commenti sunt Manichaei. Est ille sui ipsius fidissimus interpres , vbi scribit (5) : *in Dei potestate sunt omnia , sed non ita vt nostrum laedatur arbitrium.* Et post pauca : *non praeuenit nostras voluntates , ne perdat nostrum liberum arbitrium.*

Quod si S. Doctor eam passim dicendi adhibuit rationem quam præsefert locus in argumentum adductus ; potissimum in Homiliis Tom. II.

Tt ad

(4) Lib. de gratia liber. arbitr. cap. 59. (5) Hom. xii. in Epist. ad Hebr.

ad populum eam adhibuit, atque Manichaeorum haeresi grassantes
vt scilicet hoc pacto eum ad bona opera exercenda inflammaret.

Martyrologii Romani lectio sic est accipienda, vt mercedis nomine ibi nominetur oratio a Virgine ad Deum pro Basilide facta:
vel si maius, vt in isto aliqua fides ex supernaturali Dei beneficio
praecesserit, qua deinde Martyr occubuit, vt Eusebius testatur (6).

De Scholasticorum prologo plura a nobis dicentur dum de Christi gratia disputabimus: nunc id tantum, sensum illius esse,
vt qui ex viribus primae gratiae quod potest facit, a Deo vberior-
rem, atque pleniorem accipit gratiam. Qui est sensus undeque
catholicus, longeque a Semipelagianismo distans.

C A P V T VII.

Divinae praedestinationis effectus adsignantur.

Primarii effectus praedestinationis sunt vocatio, iustifi-
cation, et glorificatio.

Substantia praedestinati aliquo sensu dici potest praedestinationis effectus: ipsa quoque peccati permissio.

Intelligimus effectuum praedestinationis nomine beneficia quaedam a Deo Optimo electis collata ex efficaci intentione eos ad aeternam beatitudinem perducendi. Intelligimus praeterea, tres in eiusmodi donis conditiones requiri vt tales effectus dicantur, et vere sint. Videlicet, quod bonum sit, Deumque Autorem habeat: quapropter inter praedestinationis effectus referri culpa non potest; est enim natura sua mala, nec potest ex Deo auctore esse, vel in vitam aeternam ordinari: quod procedat hoc Dei donum ex efficaci glorificationis voluntate, seu electum a Deo sit velut medium ad finem aeternae gloriae conducens. Hinc collata reprobis gratiae munera praedestinationis effecta non sunt, quod non huius finis gratia, vt scilicet re ipsa eis ad salutem prossint, fuerint illis a Deo impedita: quod denique ad coelestis gloriae possessionem reuera perducat. Est enim praedestinatio: *mediorum preparatio, quibus certissime liberantur quicumque liberantur.*

Et

(6) Hist. Ecclesiast. lib. vi. cap. 5.

Et hoc quidem sensu vocationem, iustificationem, et glorificationem primarios praedestinationis effectus primo loco adsignamus, hoc scilicet ducti fundamento: ad Rom. viii. ait Apostolus: *quos autem praedestinavit, hos et vocauit; et quos vocauit, hos et iustificauit; quos autem iustificauit, illos et glorificauit:* at haec omnia a diuina praedestinatione, tamquam a causa, proficiscuntur: esse enim praedestinatio praeparatio beneficiorum, quae certissimam praedestinati liberationem habent adjunctam: est itaque glorificatio eximius praedestinationis effectus, tamquam praecepitum Dei beneficium, quod omnem animi corporisque miseriam ab electis in aeternum remouens, in consummatam perpetuamque eos vindicat filiorum Dei libertatem. Sed glorificationem vocatio et iustificatio precedunt: saluus siquidem esse non potest nisi iustus; iustificari vero nisi vocatus a Deo, seu nisi praeueniente eius gratia excitatus, et ad iustitiae amorem adlectus: tria igitur illa quae prima proposicio continet, praedestinationis primarii effectus sunt: si tamen obiter commoneamus, solam vocationem efficacem, cui homo consentit, de qua Ioann. vi. dicitur: *omnis qui audiuit a Patre et didicit, venit ad me;* solam item iustificationem, quae, vt in laudata Apostoli verba explicat S. Thomas (1), *numquam frustratur, quia praedestinati in ea perseverant usque in finem,* in praedestinationis effectibus nos hic adnumerare.

Nec faciunt contra propositionis veritatem, paucula ea quae solvent opponi: videlicet, quod quandoque praedestinati vocationem deserunt, et a iustitia excludunt; quod quandoque vocatio, et iustificatio etiam reprobis conferuntur; quod saltim glorificatio non potest medium esse, sed finis; demumque sicut gratia Adamo in statu innocentiae collata, quamquam per eius poenitentiam restituta, effectus praedestinationis non fuit; ita neque effectus praedestinationis est gratia illa, quam alii electi receperunt, perdiderunt vero proper culpan, licet per poenitentiam reuiuscant.

Hanc enim habent explicationem. Primum quidem: quod licet quandoque praedestinati vocationem deserant, tamen reuiuscunt per subsequentem poenitentiam merita praecedentia, et ex recordatione prioris vocationis magis trahitur electus ad assentendum praesenti.

Secundum: quod iuxta ea quae superius adnotauimus, requiri-
tur ad praedestinationis effectum, quod descendat ex efficaci diu-

Tt 2

nac

(1) Lect. vi.

nec voluntatis proposito largiendi beatitudinem; quod sane proposi-
tum ad nullum reprobum adtinet, quamvis eis saepenumero voca-
tio et iustificatio conferantur.

Tertium: quod quin effectus praedestinationis sit quocumque
beneficium, eo vtique collatum fine, vt electi a perditione liberen-
tur, sive liberentur per modum mediū, sive per modum termini
seu finis; glorificati, nedum praedestinationis effectus, sed maxi-
mus et praecipuus dicenda est: ea enim penitus arque in perse-
tuum liberantur.

Vltimum: quod gratia ceteraque originalis innocentiae status do-
na nequaquam pronenere ex intentione efficaci elargiendi gloriam; haec
siquidem efficax intentio culpam originis supponit. Vnde quid id sit
omnino necessarium in praedestinationis effectu; non fuit huiusmo-
di in Adamo. At in nobis originis culpa obstrictis, et locum ha-
bet propositum illud efficax, et ab eodem gratia, omniaque super-
na dona descendant.

Secunda propositio duo continent; quorum vnumquodque suas
habet probationes. Atque substantiam praedestinati sensu quodam praes-
destinationis effectum esse hoc ratiocinio demonstratur: praedestina-
ti substantia seruata est misericorditer post peccatum: promeruit
siquidem ob culpam Adae genus humanum etiam vt in nihilum re-
digeretur, nisi propter Christi merita huic malo subuentum esset:
ita autem seruata, ad gloriam praeordinatur: igitur inter praedesti-
nationis effectus iure merito recensetur. Nam si substantia praedesi-
tinati seruata est non vi prioris decreti ad creationem spectantis,
sed intuitu meritorum Christi; consequens est, posse et ipsam ad
gloriam efficaciter ordinari.

Hinc quoque arguitur, praedestinati substantiam, si absolute
consideretur, quatenus nempe a solo creationis decreto pender, neu-
tiquam praedestinationis effectum esse posse. Nam decretum crea-
tioni homines praecedat ratione nostra originalis peccati praescientiam.
Sed minutula sunt haec; nec de illis bellum volumus. Ideo tempera-
mento vsi fuimus.

Eodem et vtimur vt probemus, peccati permissionem esse praes-
destinationis effectum. Etenim quum reuera peccati permisso magis
videatur poena quam donum, neque ad comparandam beatitudi-
nem immediate conducat; sequit illa haberi velut effectus elicitus,
sed tantum imperatus, vt Schola consuevit adpellare: remote enim
ad

ad gloriam perducit ob multa, eaque insignia, ad quae illam Deus
ordinat, humilitatem videlicet, poenitentiam, caritatem, cert.

Hoc nomine locum ei inter effectus praedestinationis Theologi
tribuunt, et Scripturæ, et Patrum, et ipsius rationis auctoritate
ducti. Scribit enim Paulus ad Rom. viii: *scimus quoniam diligen-
tibus Deum omnia cooperantur in bonum iis qui secundum propo-
tum vocati sunt sancti.* Quae verba expendens Augustinus ait (2):
»diligentibus cum omnia cooperantur in bonum: vsque adeo pro-
sus omnia, vt etiam qui corum deviant et exorbitant, etiam hoc
»ipsum eis faciat proficer in bonum, quia humiliores redeunt at-
»que doctiores.« Et in libris de Ciuitate Dei (3): »audeo dicere,
»superbis esse vtile cadere in aliquod apertum manifestumque pec-
»catum, vnde sibi displiceant qui iam sibi placendo ceciderant.
»Salubrious enim Petrus sibi displicuit quando fleuit, quam sibi pla-
»cuit quando praesunxit. Hoc dicit et sacer Psalmus, *impie facies
»eorum ignominia, et quaerent nomen tuum Domine.*« Similiter
Gregorius Magnus in Moralibus (4): »fit ut aliquando se haec gra-
»tia viliter subtrahat, et praesumenti, quantum infirmatur ostendat:
»tunc enim vere cognoscimus bona nostra vnde sint, quando
»haec quasi amitendo sentimus, quia a nobis scrutari non possunt.«
Demum S. Thomas (5): »inter omnes vniue si partes excellunt San-
»cti Dei . . . et ideo quidquid accedit, vel circa ipsos, vel alias
»res, rotum in bonum corum cedit, ita vt verum sit quod di-
»citur Proverb. xi: *qui stultus est seruet sapienti*, quia scilicet
»etiam mala peccatorum in bonum iustorum cedunt: vnde et Deus
»specialem curam de iustis habere dicitur . . . in quantum scilicet
»sia de eis curat, quod nihil mali circa eos esse permittat
»quod non in bonum corum convertat. Et hoc quidem manifestum
»est quantum ad mala poenalia, quae patiuntur: vnde in Glossa
»dicitur, quod ipsorum infirmitate exercetur humilitas, afflictio-
»ne patientia, contradictione sapientia, odio benevolentia. . . .
»Sed numquid etiam eis peccata cooperantur in bonus? Quidam
»dicunt, quod peccata non continentur sub hoc quod dicit omnia,
»quia secundum Augustinum, peccatum nihil est, et nihil fiunt
»homines, quum peccant. Sed contra est, quod in Glossa sequi-
»tur« (quae eiusdem Augustini est lib. de Corrept. et Gratia cap. ix,

et

(2) Lib. de Corrept. et Grat. cap. 9.

(3) Lib. XIV. cap. 13.

(4) Lib. II. cap. 26.

(5) Lib. VI. laedata.

et lib. xiv. de Ciuit. Dei cap. xiii.) : «usque adeo talibus Deus omnia cooperatur in bonum , vt si qui horum deuant , et exorbitant , etiam hoc ipsum eis faciat proficere in bonum ; vnde in Psalmo xxxvi. dicitur : quum ceciderit iustus , non collidetur , quia Dominus supponit manum suam . Sed secundum hoc videtur , quod semper tales in maiori caritate resurgent , quia bonum hominis in caritate consistit , quam si non habeat , Apostolus se nihil esse recognoscit I. ad Corinth. xiii. Sed dicendum est , quod bonum hominis non solum consistit in quantitate caritatis , sed praecipue in ipsis perseverantia vsque ad mortem . . . Ex hoc autem quod iustus cadit , resurgit cautor et humilior ; vnde in Glossa subditur postquam dixerat , quod hoc ipsum faciat eis in bonum proficere , quod sibi humiliores redeunt , atque doctiores discunt enim , cum tremore se exultare debere , non quasi arrogando sibi , tamquam de sua virtute fiduciam permanendi .» Haec S. Thomas.

Ex omnibus autem haec eruit ratio Theologica : peccati permissione ex diuina ordinatione conductit ad spirituale praedestinati bonum , scilicet , humilitatem ac maiorem beneficiorum Dei aestimationem : nihil aliud , ex prae notatis , opus est ut effectus , imperatus saltim , praedestinationis illa sit : est igitur huiusmodi.

Verum sunt quaedam , quae hanc adsercionem infringere videntur. Sunt haec : I : prudens rerum prouisor haud debet permettere maximum malum , suaequa bonitatis offensam summam , quale est peccatum , etiam ex intentione largiendi maiorem humilitatem , aut sublimiorem gloriae gradum : quae enim foret medici prudentia , qui bene valentem in morbum sineret incidere , ut eum restituere valetudini posset ? Inter effectus ergo praedestinationis non est haec permissio numeranda.

II : si enim Deus culpam permittens , maius electorum bonum salutemque in proposito habet ; culpam ipse velle dicendum est : certa enim electorum bona non sunt , nisi culpa praecesserit , ut poenitentia , humilitas , salutaris confusio , cert. : at Deum culpam velle nemo vnu dicere audebit : non est ergo peccati permissione diuinæ praedestinationis effectus.

III : permissione peccati nequit inter beneficia numerari , nec de ea dici valet , quod sit misericordiae actus , aut ex Christi meritis conferatur ; sed est illa opus iustitiae , vel culpam punientis , vel homi-

minem in manu consili sui dereliquentis : ergo non est locanda inter praedestinationis effectus.

Sed facilis est horum solutio. Ad I. itaque dicendum : prudenter tissimam acque ac sapientissimam esse permissionem peccati , eum in finem a Supremo rerum vniuersarum Rectore ordinatam , vt magis magisque iustitia , misericordia , atque incomprehensibilis prouidentiae ratio manifestetur. In iustificatione quoque impli , quantum emicant et infinita vnius Mediatoris Dei et hominum Christi Domini merita , et Patris misericordiarum omnipotentia , quae , vt ait Ecclesia , parcendo maxime , et miserando manifestatur ! Sed vt culpa , et hominis malum est , quam sapienter a Deo permititur ! Num enim hominem peccare sinit Deus , vt eum simpliciter iustificet , tantumque ei boni reddat , quam fecerat peccando facturam ? Quid ergo si imprudens esset Medicus , qui aegrotare hominem permetteret , experientiae dumtaxat in eius morbo depellendo artis sua gratia ? Nonne contra multum prudens , si morbo eum tentari sineret , vt eum ad sanitatem reduceret , multo quam ante firmiore , statuforemque ?

Secundi argumenti consequentia aperte falsa est. Non enim sequitur ex quo Deus bona illa velit , et malum velle ad quod sequuntur. Ratum enim et illud est apud Theologos plurimos , mississe Deum filium suum in similitudinem carnis peccati , vt de peccato damnaret peccatum , seu ad tollendum peccatum mundi , originarium in primis , Incarnationis Mysterium voluisse. Hoc tamen quia voluit , illud in cuius remedium Deus homo factus est , voluisse non est censendum. Similiter ad abstergendam originariam labem Baptismi Sacramentum , ad delenda quae post baptismum admissa sunt crimina Sacramentum Poenitentiae instituta sunt. Qui tamen haec voluit et instituit , peccata sine quibus his opus non fuisset , neutiquam voluit. Ad humilitatem itaque , poenitentiam , aliosque fructus , quos ex peccatorum permissione electri ferunt , optime potest diuina voluntas ferri , quin peccata ipsa velit , sine quibus fructus huiusmodi electis non obuenirent : quoniam spiritualium bonorum utilitas bona est , ideoque Deum auctorem habet , peccatum contra nihil est , vt Augustinus ait , seu mera boni priuatio , nec efficientem , sed deficientem caussam habet , humanam scilicet voluntatem , quae a diuinae legis , et rationis ordine aberrat. Quare rectissime Augustinus,

336 INSTITUTIONVM THEOLOGICARVM
nas et Thomas docent, mala culpae a Deo non fieri, sed ordinari, sicut Medicus morbos non facit, sed curat.

Terrium vt soluat spectanda sub dupli ratione est peccati permisso, solitarie nempe, et in se considerata, et vt subest proposito, consilio, atque ordinationi diuinae prouidentiae. Igitur in intentione illius, qui vt Augustinus loquitur (6); melius iudicavit de malis bona facere, quam mala nulla esse permittere, habet ea quan-dam beneficii rationem, quatenus scilicet, ad maiorem utilitatem, solitudinem, poenitentiam, ac praedestinati gloriam trahit. Sed in se considerata, vel, vt dicitur, praescissim ab hac ordinatione nulla in illa beneficii ratio adinuenitur; imo importat diuinorum beneficiorum, atque auxiliorum denegationem, atque poena est hominis praesumentis, non gratia Dei liberantis.

CAPVT VIII.

De praedestinationis certitudine, atque immutabilitate: deque Sanctorum pro electis intercessione.

Licet praedestinatio sit omnino immutabilis; non est tamen omnino certa.

Viles sunt praedestinatis orationes Sanctorum.

Paucis has propositiones absoluimus. Et ad primam quod speat, sic breuiter quoad utramque partem probatur: quoad primam quidem ex eo quod Dei decreta efficacia, et absoluta immutabilitia omnino sint. Non enim Deus voluntatem habet similem humanae, quae non semel propositum mutat, neque volenti efficaciter saluum facere hominem arbitrii resistit: praedestinatus etiam, diuino superamento decreto, gloriam infallibiliter consequitur; siue ergo ex parte Dei, siue ex parte hominum praedestinatio consideretur, immutabilis illa est.

Probatur quoad secundam: etenim Scripturae docent, respectu Dei praedestinationem esse certam, dicente Apostolo ad Timoth. II. cap. ii: cognovit Dominus qui sunt eius. Docent, et respectu hominum incertam esse, dicente Eccles. cap. ix: nescit homo utrum amo-

re,

(6) Lib. de Corrept. et Grat. cap. 10.

LIBER IV. CAP. VIII. 337
re, an odio dignus sit; sed omnia in futurum seruantur incerta.

Et ipse Augustinus, qui in lib. de Corrept. et Grat. dixerat (7), nemo eorum perit, quia non fallitur Deus, postea scribit (8): «nemo, quandiu in hac mortalitate viuitur, de arcano diuinae praedestinationis mysterio, vsque adeo presumere debet, vt certo statuat, se omnino esse in numero praedestinatorum.» Quae Augustini verba Concilium Tridentinum sua fecit (9). Licer ergo certa ex parte Dei praedestinatio sit; non est talis ex parte hominum, seu respectu corundem.

Id ratio ipsa confirmat: quae enim hominibus praecipienda erat aeternae salutis spes, talis esse debuit, quae simul anxietatem, et timorem incuteret, vt cum metu ac tremore propriam salutem operarentur, et gratiae dona non parupenderent superbiendo, sed custodirent extimescendo: ergo sicut decebat eam certam esse respectu Dei; ita et esse incertam respectu praedestinatorum.

Secunda propositio nec inepta a Theologis ponitur, nec iniuititer a nobis demonstrabitur. Atque Catholicæ Ecclesiae sensum nos S. Thomas docet (10), et errores cauendos designat, et dogmata tenenda, et viam quoque qua incendum sit. Itaque duo haec in fidei dogmate certissime habenda, ratam scilicet omnino fixam ac immobilem praedestinationem diuinam esse, quod supra tradidimus; nec tamen homini libertatem eripere, recteque factorum necessitatem excludere. Turpissime enim errarunt ii qui animum vniice ad diuinæ praedestinationis immutabilitatem vertentes, superuacuam esse dixerunt quamcumque hominum industriam. Hunc errorem Epicureis adscribit S. Thomas (11). Verum et S. Thomas acrate fuere, et hac nostra etiam, apud Catholicos nonnulli, qui in hoc Epicureorum errore sunt. Neque minus ab illo erratum qui humani arbitrii libertatem parupendentes, statuerunt, diuinam praedestinationem precibus ac sacrificiis mutari posse. Cuius erroris auctores AEgyptios, et Stoicos S. Thomas agnoscit (12).

At quum pugnatum iam contra istos prima propositione sit, pugnandum modo contra primos est, quum Scripturis, tum exemplis. Scripturis quidem: nam in Canonica Iacobi Epistola legimus: orate pro inuidice ut saluemini. Exemplis autem: nam propter Ste-

Tom. II.

Vv

pha-

(7) Cap. vii.

art. 8.

(8) Cap. XIII.

(11) Quæst. vi. de malo art. 6.

(9) Sess. vi. cap. 12.

(12) In Summa. Et quæst. vi. de

(10) Prima Parte, quæst. xxxiii.

Verit. art. 6.

phani orationem Saulus , Ecclesiae antea persecutor , electus est , dicens Augustino ; si Stephanus non orasset , Ecclesia Paullum non haberet . Etiam ipse Augustinus de seruitute Babilonis ob lacrymas precesque matris suae Monice vocatus est . Haec vero non ita sunt intelligenda quasi orationes Sanctorum ipsum Dei praedestinantis actum nobis promereantur . Duo igitur in praedestinatione adcurate distinguenda ex D. Thomae doctrina , ipsa scilicet Dei quosdam ad coeleste regnum eligentis , eisque ad illud obtinendum auxilia praeparantis , praordinatio , et huius praordinationis effectus . Ipsu Dei praordinantis , et praedestinantis actum iuuari Sanctorum precibus , nulli sobrio in mentem venire potest . Neque enim fit , aut fieri precibus huiusmodi potest , ut quis a Deo praedestinetur .

Quae vero aduersus firmatas assertionses opponi solent adeo levia sunt , ut hic in transcurso solui valeant . Primam itaque propositionem haec contradicunt . I : electos posse a vita libro deleri ac reprobari Scripturae testantur : sic enim Moses Deum adloquitur Exod . xxxii . VV . 31 . et 32 : aut dimitte eis hanc noxam , aut si non facis , dele me de libro tuo , quem scripsisti . Et Paulus in I . ad Corinth . cap . ix : castigo , inquit , corpus meum , et in seruitutem redigo , ne forte quum aliis praedicavero ipse reprobus efficiar .

II : praedestinationem esse mutabilem docet Augustinus Serm . cn . de tempore scribens : »vtinam tam cito peccator homo resurgat ad poenitentiam , quantum cito Deus vult definitum mutare sententiam !« Cui quidem sententiae affine est Augustini eiusdem proloquium : si non es praedestinatus fac ut praedestineris . Atque Ecclesiae oratio consona est , qua Deum precatur ut liber vita praedestinatorum nomina adscripta retineat .

III : posita omnimoda praedestinationis immutabilitate , posset quis sic argumentari : vel sunt praedestinatus , vel reprobus : si praedestinatus , etiamsi praecepero salubor ; si vero reprobus , quaeunque bona opera faciam , damnabor .

Secundam propositionem haec contradicunt : praedestinatio suum consequitur effectum , sive Sancti pro nobis orent , sive non orent , quippe quae nullo pacto impediri valer : non ergo vtiles electi sunt Sanctorum orationes . Deinde : vel enim Sanctorum oratio pro praedestinatis in viuversum fit , vel pro aliquo particulari , vel pro aliquo indeterminate : nullo ex his modis vtilem illam esse posse inde euincitur , quod generalis illa oratio frustranea prouersus sit , quum non

non saluentur omnes , sed dannentur plurimi : frustranea pariter sit oratio pro particulari praedestinato ; quum haec nullam aliam agnoscat causam praeter diuinum beneficium : atque oratio pro aliquo electo indeterminate nullam requirit efficacem intentionem conferendi gloriam : ergo .

Postremo : licet Stephanus non orasset Paullus aeternam salutem fuisset adsequitus : licet Monica non orasset Augustinus saluus factus fuisset . Nam electio et Paulli et Augustini , orationes Stephanus et Monice praecessit . Haec obiliunt .

Sed facilis est et prompta responsio . Et quidem primum argumentum ex his quea contra primam adsercionem pugnant sic solvitur . Haud ignoramus quosdam fuisse Scripturae sacrae Interpretates , qui Mosis verba de libro vitae , seu praedestinatorum accepérunt , existimantes , Mosem petendo rem impossibilem , desiderium de populi Israëlitici salute atque incolumitate expressisse . Sed sunt etiam alii qui de libro vitae temporalis eum fuisse loquuntur contendunt , eo pacto quo Num . xi . vers . xv . dicit : obsecro ut interficias me . Apostolus autem de gratiae priuatione , quae alius est ex reprobationis effectibus intelligendus est ; neutiquam de Dei proposito , seu actu diuinæ voluntatis .

Ad secundum dicendum : mutabilem esse praedestinationem quantum attinet ad effectum aliquem medium , puta iustificationem , et praedestinati opera ; non ita quantum attinet ad diuinæ voluntatis propositum , finaliter perseverantiam , et coronam gloriae . Nam sic haec seilungere debemus in diuinæ praedestinationis negotio ut confusionem vitemus . Sumta enim praedestinatione adaequata , ut loquitur Schola , seu secundum omnes suos effectus , videlicet vocacionem , fidem , iustificationem , incrementa virtutum , perseverantiam , et coronam , immutabilitatem omnimodam in ea agnoscimus ; non sic accepta illa inadaequata , seu pro effectu aliquo intermedio , nempe iustificatione , aut quoquis alio , praeter finalem perseverantiam , et mercedis retributionem . Quia quidem distinctione , Augustini tum testimonium , tum axioma (si vere illa Augustinum auctorem habent) dilucide explicantur . Explicatur quoque verus Ecclesiae sensus in oratione laudata .

Tertium ut soluat , negandum est dilemma illud valere posse : siquidem immutabilis licet sit praedestinatio , non tamen exequitio nisi alter est mandanda , nisi mediis liberis praedestinatorum meritis .

Quamvis enim Deus gratis eligat, nos ideo vult adulis gloriam conferre, nisi vt coronam, mercedem, brauium: adeo vt praedestinationis actus gratuitus omnino sit, sed obiectum onerosum. Id quod rudibus his exemplis confirmamus: certa est futura seges; quare igitur seris? Vel morieris hac infirmitate, vel non: cur ergo mendicantis ad sanitatem vteris? Deus itaque quem misericors vna ac iustus sit; et nos misericorditer praeuenit, et nos iustissime iudicabit, reddens vnicuique iuxta opera sua. Bonis igitur operibus sedulo incumbendum nobis est.

Ad ea modo accedentes quae contra secundam propositionem pugnant, hoc pacto primum eneruamus. Euenit certe infallibiliter quod Deus erga electos suos decrevit; neque impediti decreverum suum viuo modo potest. Ast decreuit, euentur illud mediis bonis electorum operibus, mediis Sanctorum orationibus: proinde medii illis euenit.

Ad secundum dicimus: Sanctorum orationes non ad id ordinari, vt per eas ditinum propositum immutari valeat; sed ordinari tantum ad finis consequitionem, vtpote praedefinitas tamquam media quibus eam obtineant electi: hinc quocumque modo illae fiant, siue pro aliquo particulari, siue indeterminate, nedium frustaneae non sunt, sed sunt insuper per quam utiles pro gloriae consequitione.

Postremi respoasio habetur ex distinctione ordinem intentionis inter et ordinem exequitionis, de quibus multa Scholastici nostri. Nobis id sufficit addere, praedestinatos fuisse Paulum et Augustinum, vt orationibus Stephani, et Monicae gratiam consequerentur: praecessit ergo illorum electio ordine intentionem praevisionem precum Stephani, et Monicae; sed ordine exequitionis praecessere istiusmodi orationes illorum electionem. Quo sensu loquutum scimus Augustinum, dum in libro de Dono Perseuerantiae cap. ii. ait: »si aliqui nondum sunt vocati pro eis oremus vt vocentur. Fortassis enim sic praedestinati sunt, vt nostris orationibus et accipient gratiam, et efficiantur electi.«

CAPVT IX.

Constituto in Deo esse reprobationem; quid illa sit, atque quoniam pacto fiat, evincitur.

Deus aliquos reprobatur.

Quos Deus positive reprobatur, non voluntate sua vel ut caussa reprobatur, sed ex demeritorum praeuisione.

Et negatiua reprobatio caussam habet ex parte reprobri, scilicet originale peccatum.

Constat veritas primae propositionis ex Scripturis. Sic enim loquitur Paullus ad Rom. cap. ii: »qui redder vnicuique secundum operra eius: iis quidem, qui secundum patientiam boni operis, gloriam, et honorem, et incorruptionem quaerunt, vitam aeternam: iis autem qui sunt ex contentione, et qui non adquiescent veritati, credunt autem iniquitati, iram, et indignationem.« Et cap. ix: »quod si Deus volens ostendere iram, et notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia vasa irae apta in infernum, vt ostenderet diuitias gloriae sue in vasa misericordiae, quae praeparavit in gloriam.« ceter. Leguntur similia passim.

Et quidem super hanc Scripturarum auctoritatem fundatas voluit S. Thomas rationes illas theologicas, quibus aliquos a Deo reprobari ostendit. Prima est (1): Deus est supremus et vniuersalis prouisor: ad vniuersalem autem prouisorem pertinet aliquem defectum in rebus a se prouisis, et sibi subiectis permittere, atque ne omnes suum assequantur finem; quemadmodum videmus in his, quae naturaliter contingunt; sic enim exigit vniuersitas creaturarum, vt ex illis quedam bona sint et praemio dignae, quedam prauae et poena dignae; dicente Paullo II. ad Thymoth. ii: »in magna domo non solum sunt vasa aurea et argentea, sed et lignea et fictilia; et quedam quidem in honorem, quedam autem in contumeliam.«

Secunda S. Thomae ratio est (2): »ordinauit ergo diuina proprie-

»ui-

(1) Prima Parte, quæst. xxxiii. 25.

(2) In I. ad Annibaldi. Dist. xx. q.

vñica, art. 3.

„uidentia ab aeterno humanam naturam ad beatitudinis consequationem per liberum arbitrium. Quod quia deficere potest per se ipsum , a solo autem Deo inefficientiam habet ; ideo ab aeterno propositus , quod quosdam permitteret deficere , quibusdam vero auxilia apponenter ne deficerent , ut in utrisque manifestaretur virtus gratiae , et defectus naturae.“ Vnde concludit : „sic ergo ab aeterno fuit propositum Dei , et respectu culpae permittendae , et respectu poenae infligendae , et haec dicitur reprobatio .“ Conueniens igitur fuit , aliquos reprobari ad ostendendam liberi arbitrii defectibilitatem.

Neque infringunt huius assertionis veritatem haec , quae apponi breueri possunt. I : admissa in Deo reprobatione , admitti quoque in eo deberet liber mortis , quemadmodum ponitur in Deo liber vitae posita in eo praedestinatione : sed admittere in Deo liberum mortis contrariatur S. Thomae (3) : ergo non datur in Deo reprobatio.

II : damnatum est a Concilio Arausicanu II. Can. xxv , et a Tridentino Sess. vi. Can. xvii , Deum ad malum praedestinare : at hoc sequeretur posita in Deo reprobatione : ergo.

III : de Deo dicitur Sap. ii : *diligis enim omnia quae sunt , et nihil odisti eorum quae fecisti : nullum ergo hominum , quos erexit , Deus odit , reprobatque.*

IV : falsum prorsus est , teneri Deum aliquem in hominibus defectum permittere , ex quo naturalem super homines providentiam habeat : nam et supra Angelos eandem habet , et tamen non tenetur huiusmodi defectum in illis permittere : quum Angeli non deficient in suo esse.

V : Deus non est causa perdictionis hominum , iuxta illud Oseei xiii: *perditio tua ex te Israël ; tantummodo in me auxilium tuum.* Neminem ergo Deus reprobat.

Ad I. enim dicendum cum D. Thoma : quod non est consuetum conscribi eos , qui repudiantur , sed eos qui eliguntur. Vnde reprobationi non responderet liber mortis , sicut praedestinationi liber vitae.

Secundum sic solvit : Concilia Arausicanum et Tridentinum id damnassem , Deum scilicet praedestinare ad malum culpae ; neutrum

quam

(3) Prima Parte , quaest. xxiv. art. 1. ad 3.

quam vero ad malum poenae. Primum aiebant Praedestinatiani , et post eos Caluinus ; secundum nos adserimus tantum.

Tertii responso est S. Thomae (4) , dicentis , „quod Deus omnibus homines diligit , et etiam omnes creaturas , in quantum omnibus vult aliquid bonum ; non tamen quocumque bonum vult omnibus. In quantum igitur quibusdam non vult hoc bonum quod est vita aeterna , dicitur eos habere odio , vel reprobare .“

Quartum hoc pacto soluimus : ad prouidentiam diuinam pertinere quidem aliquem defectum permittere in rebus , sed tamen in eo in quo sunt defectibiles : quum itaque Angeli secundum naturam indefectibilis in esse sint , hinc non tenetur prouisor permittere in illis , ut aliquis in eo deficiat : quum vero homines liberum habent arbitrium , suapte natura moraliter defectibiles ; propterea Deus ut prouisor vniuersalis tenetur in aliquibus aliquem permittere defectum , et circa media eis denegando gratiam , et circa finem disponendo ut aliqui a suo fine deficiant.

Ad quintum dicimus : quod Deus reprobans non caussat media quibus tendit homo ad interitum , sed solum ea permittit. Sunt enim peccata , non a Deo caussante , sed a libera voluntate humana se subtrahente a diuina caussalitate : vnde homo vera caussa est suae perditionis.

Hac autem Dei reprobatio , cuius existentiam firmabamus , in negatiuum et positiuam diuidi a Theologis consuevit. Negatiuum aliqui dicunt meram non electionem ad gloriam : ali actum Dei posituum iudicant , quo aliquos a gloria excludit. Positiuum vero eam agnoscunt , quae actus positius sit , quo Deus aliquibus praeparat poenam , et damni , et sensus. Ignoram Paribus , atque antiquis Theologis fuisse negatiuum reprobationem praescendentem a demeritis praecuisis , sunt qui immerito adserant. Eam siquidem indicauit Augustinus dum ait in massa perditionis aliquos relinquiri , alios ab ea erui ; et ad Dei beneplacitum vnicce id esse referendum (5). Aperite eam tradit S. Thomas (6) scribens : „in quantum Deus quibusdam non vult hoc bonum , quod est vita aeterna , dicitur eos habere odio , vel reprobare .“ Quoniam igitur pacto vtraque illa

re-

(4) Prima Parte , quaest. xxiii. art. 3.
ad 1.

(5) Lib. ii. contra duas epist. Peleg. cap. 7. et lib. de Prae-

dest. Ss. cap. 9.
(6) Prima Parte , quaest. xxiii. art. 3. ad 1.

reprobatio in Deo contingat, quod dupli propositione principio constitutum reliquimus, sequitur ut ostendamus.

Atque propositionem ordine secundam, quae de reprobatione positiva loquitur, multa euincit. Primo quidem, Deum non voluntate sua, vti causa, quosdam reprobare, firma Scripturarum auctoritas testatur. Etenim Sapientiae xi. scriptum est: *diligis omnia, quae sunt, et nihil odisti eorum quae fecisti.* Et Oseea xiii: *perditio tua ex te Israël, tantummodo in me auxilium tuum.* Item Iacobi i: *nemo quum tentatur dicat, quoniam a Deo tentatur; Deus enim intentator malorum est: ipse autem neminem tentat.*

Tentantur quoque Concilia. Ex his Arausicanum celebratum anno 529. haec habet Canone xxv: *aliquos ad malum diuina potestate esse praedestinatos, non solum non credimus, sed etiam, si sunt qui tantum malum crederent, cum omni derestatione illis anathema dicimus.* Synodus insuper Valentina habita anno 855. Can. iii. ait: *in electione saluandorum misericordiam praecedere meritum bonum; in damnatione vero periturorum meritum malum praecedere iustum. Dei iudicium.* Ac tandem Tridentinum Concilium Can. xvii. definit: *si quis dixerit, reliquos omnes qui vocantur, vocari quidem, sed gratiam non accipere, vt pote diuina potestate praedestinatos ad malum; anathema sit.*

Sed et testatur Traditio: de Patribus siquidem qui proximo ab Apostolis aeo vixerunt, sic Centuriatores Magdeburgenses scripserunt (7): *de praedestinatione ita docuerunt, vt quantum ad trius que, hominis scilicet et diaboli lapsum attinet, negant, cum fatali necessitate contigisse: nec praedestinationem in eo Dei, sed praescientiam admisserunt.* Pro omnibus tamen omnium sacerdotium PP. adducendi Augustinus et Thomas. Augustinus quidem (8) ait: *bonus est Deus, iustus est Deus. Potest aliquos sine bonis meritis liberare, quia bonus est. Non potest quemquam sine malis meritis damnare, quia iustus est.* Et lib. xiii. de Trinit. cap. xii: *modus iste, inquit, quo traditus est homo in Diaboli potestatem, non ita deber intelligi tamquam Deus hoc fecerit, aut fieri iussurit; sed quod tantum permisserit, iuste tamen.* Sanctus vero Thomas adsignans discrimen reprobationis a praedestinatione scribit (9): *praedestinatio importat praeparationem meritorum quibus per-*

ue-

(7) Cent. ii. cap. 4.

lib. xiii. de Trinit. cap. 12.

(8) Lib. iii. contra Iul. cap. 18. Et

(9) In cap. ix. Epist. ad Rom. lect. 1.

uenitur ad gloriam; sed reprobatio non importat praeparationem peccatorum quibus peruersit ad poenam. Et ideo praescientia meritorum non potest esse aliqua ratio praedestinationis, quia merita praescrita cadunt sub praedestinatione; sed praescientia peccatorum potest esse aliqua ratio reprobationis ex parte poenae, quae paratur reprobatis; in quantum scilicet Deus proponit, se puniendum malos proper peccata quae a se ipsis habent, non a Deo. Iustos autem proponit se praemiatrum proper merita quae a se ipsis habent.

Accedunt rationes Theologicae: I: sententia quae docet, homines positive a Deo reprobari absque demeritorum praevisione, et Deum nimis crudelem facit, et facit caussam positivam influentem, ac volentem eorum peccata: quod esto non renuat faceti Calvinus, nos vel cogitare horremus.

II: voluntas puniendo supponit culpam tamquam motiuum; quum sit voluntas exercendi iustitiam punitiuum: igitur quum reprobatio positiva voluntas sit poenam infligendi, est quoque voluntas iustitiam punitiuum exercendi, ac culpam supponens.

III: hac posita sententia, et lex aeterna, et ordinis vniuersi pertinet tranquillitas, aiente Augustino (10): *si peccatis detracis miseria peruerterat, recte deformari dicitur ordo, atque administratione vniuersi.* Et alio loco (11): *pax omnium rerum est tranquillitas ordinis: ordo est parium dispariumque rerum sua cuique loca tribuens dispositio. Proinde miseri, in quantum miseri sunt, in pace non sunt, et tranquillitate ordinis carent. Verumtamen quia merito et iuste miseri sunt, in sua ipsa miseria praepter ordinem esse non possunt.*

Sed accedamus iamiam oportet ad probations tertiae propositionis, quae de reprobatione negativa est. Eam demonstrant primo Scripturae, ex quibus apertissimum Pauli locum cap. ix. Epist. ad Rom. vñice hic adducimus. Scilicet: *quum enim nondum natu fuissent, aut aliiquid boni egissent aut mali, vt secundum electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex voluntate dictum est ei: quia maior seruier minori, sicut scriptum est: Jacob dilexi, Esau autem odio habui.* Et infra: *jan non habet potestatem figulus lutu ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud in contumeliam?* Pauli igitur sententia Tom. II.

(10) Lib. iii. de lib. arb. cap. 9. (11) Lib. xix. de Ciu. Dei cap. 13.

est eos quos negatius Deus reprobavit, odio haberi, seu non diligi, atque appellari vasa irae, vasa contumeliae; quod sane contingere non valet nisi ob originale peccatum: ut enim legitur Sap. xi: nihil potest Deus odire eorum quae fecit, quum omnia sint valde bona: odit ergo Deus in Esau, odit in reprobo, quod non fecit ipse, neque originale peccatum.

Secundo hanc propositionem demonstrant Patres. Augustinus prae-
primis scribit (12): «vasa sunt irae, quae perfecta sunt ad perdi-
tionem, quae illis debita redditur; sibi hoc imputent, quia ex ea
massa facta sunt, quam propter unius peccatum, in quo omnes
peccauerunt, merito iusteque damnavit. Si autem vasa sunt mi-
sericordiae, quibus ex eadem massa factis supplicium debitum redi-
dere noluit, non se infest, sed ipsum glorificant, qui eis mis-
ericordiam non debitam praemittit.» Et infra (13): «quid enim di-
ligebat in Iacob antequam natus fecisset aliquid boni, nisi gratui-
tum misericordiae suae donum? Et quid oderat in Esau antequam
natus esset aliquid mali, nisi originale peccatum? Nam neque
in illo diligenter iustitiam, quam nullam ille fecerat, neque in isto
odisset naturam quam bonam ipse fecerat.» Habet similia plurimis
in locis (14). Subscribit Augustino S. Thomas: potissimum ubi do-
cet (15), manifestationem duplicitis attributi, misericordiae nempe, et
iustitiae esse caussam, cur licet omnes homines sint aequales, et in
natura, et in peccato originis, vnum tamen Deus praedestinet, alium
reprobat. Eius verba sunt: «voluit ergo Deus in hominibus
quantum ad aliquos, quos praedestinat, suam representare boni-
tatem per modum misericordiae parcendo; et quantum ad aliquos,
quos reprobatur per modum iustitiae puniendo. Et haec est ratio
quare Deus quosdam eligit, et quosdam reprobatur.» cert. Et alibi (16): «si aliquis duobus aequo ipsis offendit, vni dimittat
offensam, et non alteri, est misericors vni, et iustus est ad alterum,
neutrī vero iniquus. Quoniam enim omnes homines propter pec-
catum primi parentis damnationi nascuntur obnoxii, quos Deus li-
berat, per suam gratiam liberat; et sic quibusdam est misericors,
quos

(12) Epist. exciv. alias ev. ad Six-
tum cap. 6.

(13) Cap. viii. eiusdem Epist.

(14) Lib. ii. contra duas epist. Pe-
lag. cap. 7. Et lib. de Correp-

tione et grat. cap. 7. et alibi.
(15) Prima Parte, quæst. xxiii. art.
5. ad 1.

(16) In cap. ix. Epist. ad Rom.
Lect. 5.

«quos liberat; quibusdam autem iustus, quos non liberat, neutris
autem iniqui.»

Hinc eruuntur variae theologicæ argumentationes pro assertio-
ne nostra firmando. Harum præcipua sit: prædestination ad gloriam
facta est per modum misericordiae parcendo; reiecta vero a glo-
ria, quae est reprobatio negativa, facta est per modum iustitiae pu-
niendo, atqui in signo illo in quo discretio electorum a reprobatis
facta est, nihil certe erat, ob quod Deus parcere, vel punire pos-
set, nisi originale peccatum: quum enim in uno eodemque signo,
in quo facta est prædestination aliorum, facta fuerit aliorum re-
probatio; et quum prædestination facta sit ante merita personalia
præevisa; et sic parcendo facta sit, hoc est peccatum originale con-
donando; quoque et reprobatio ante peccata personalia facta fuit,
puniendo quidem originale peccatum.

Alia ratio est: ex quo Deus creaturam rationalem cum iustitia
originali et gratia sanctificante condiderit, iniquus illico esset si
illam in gratia perseverantem a regno excluderet: tametsi gloria illi
non sit debita, quemadmodum neque gratia, vt contra Baium de-
finitum credimus: ideo igitur illam excludit a gloria, quoniam per
originalem culpam acceptam iustitiam deperdidit. Insuper: jan non
negativa reprobatio poena censenda est? Supponat ergo culpam oportet.

C A P V T X.

*Caluini errore relato, ad ea quae a Caluinistis obiciuntur, sol-
uenda pergit. Dein Theologorum Catholicorum in negotio reproba-
tionis negatiuae nobis aduersantium argumentis
fit satis.*

Inter Ioannis Caluini foedissimos errores unus ex præcipuis fuit,
vnicam et adaequatam tum negatiuae tum positivæ reprobatio-
nis caussam esse solam Dei voluntatem. Censuit enim ille, Deum
ante præcisionem cuiuslibet peccati, tum actualis, tum originalis,
ab aeterno quosdam homines, quosdamque Angelos a regno coele-
sti exclusisse, illisque poenam damni et sensus præparasse; proin-
de nec Angelos nec homines reprobos, fuisse creatos ad coelestem
beatitudinem, sed in damnationem sempiternam: atque vt hoc suum
decretum exequutioni mandetur, necessitatem illis imponi ad peccan-
dum,